

B. h. II, 14b  
h. 38, 12.

26 (X1878954)



*Q. D. B. V.*

PROBLEMA POLITICUM,

An.

# Cujus regio, ejus fit Religio?

*Quod*

PRÆSIDĒ

DN. L. ADAMO RECHENBERG,

P. P.

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

IX. Febr. A. Chr. MDCXCV.

*H. L. Q. C.*

Publice discutere instituit

DANIEL LEONHARD Müller/  
Lipsiensis.

---

LIPSIAE,

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*

**DN D. JOHANNI BOHNIO,**

*Therapeutices in Acad. Lips. P. P. longe celeberrimo,*

*Gratiosissimæ Fac. Med. Seniori,*

*Min. & Maj. Princip. Colleg. Collegiato,*

*Acad. Decem-Viro, & Reip. Lips. Physico Ordinario:*

*de singulis, quæ sustinet, officiis præclarissime  
merito,*

*Domino, Patrono atque Tutori suo, Parentis loco  
etatem devenerando:*

*Nec non.*

V I R O

*Nobilissimo & Consultissimo,*

**DN. POLYCARPO Høyland/**

*Hæreditario in Schleißig /*

*Inclutæ Reip. Lips. Senatori gravissimo,*

*Domino, Patrono atq; Avunculo suo, omni observantia  
cultu suspiciendo,*

*Has studiorum Academicorum primitias,*

*debiti honoris & obsequii ergo,*

*D. D. C.*

*Daniel Leonhard Müller.*





Q. D. B. V.

INDEX ET CONNEXIO RERUM  
QUÆ TRACTANTUR.

- §. I. De origine dicerii: *Cujus est regio, ejus est Religio.*
- II. De ejus veritate proponitur disquisitio.
- III. *Religio non est res arbitraria.*
- IV. Fundamenta demonstrationis, *Religionem esse necessariam.*
- V. Deducta inde *necessitatis* assertio.
- VI. Ad Religionem salutarem cognoscendam, opus est *revelatione* divina.
- VII. Hinc Religio in *naturalem & revelatam* distinguitur.
- VIII. Quid hic potissimum de Religione queratur.
- IX. Religio ad curam animæ spectat.
- X. Ejus cura homini, si vel extra societatem civilem vivat, incumbit.
- XI. Inde queritur; an rectores civitatum ex jure territorii, plenam & absolutam potestatem circa sacra & Religionem habeant?
- XII. Est illa sententia Hobbesii:
- XIII. Cujus assertiones adducuntur.
- XIV. Huic adstipulatur *Adr. Houtuyus, JCtus Batavus.*
- XV. Vult tamen ab Hobbesio dissentire.
- XVI. Hypotheses præstruuntur illorum sententiis evertendis idoneæ:
- XVII. Prima est, civitates non Religionis causa primum institutas fuisse.
- XVIII. Quo sensu Religio civitatis vinculum dicatur.
- XIX. Secunda, cives voluntatem circa cultum Dei & curam animæ non absolute imperantibus submisisse.
- XX. Tertia, Religionem non posse imperari aut cogi.

A 2

XXI.

- XXI.** Quod confirmatur ex Religionis Christianæ indole, institutione & praxi veteris Ecclesiæ.
- XXII.** His præstructis, distingvuntur *internæ & externæ* Religionis *partes*.
- XXIII.** Interna Religionis quæ vocantur, imperio civili non sub jacent; externa vero ex jure territorii subjiciuntur.
- XXIV.** Interna tamen etiam moderatione imperantium non sunt exempta.
- XXV.** Imperium, & functio sacra, in una persona coalescere nequeunt.
- XXVI.** Jus rectorum civitatum circa sacra, quoad externa, imperativum & directivum asseritur:
- XXVII.** Et probatur.
- XXVIII.** Notatur *Dav. Blondellus*, qui regimen ecclesiasticum plebi vindicare nititur.
- XXIX.** Fons illius erroris ostenditur, vendicato imperantium circa sacra, jure.
- XXX.** PROBLEMATIS inde PROPOSITI sensus declaratur.
- XXXI.** Abusus ejus simul notatur.
- XXXII.** Autores istius abusus inter recentes politicos sunt *Hobbes* & *Houtuyenus*.
- XXXIII.** *Houtuyeni περὶ τῶν Στοῦδων* ex Hobbesio ostenditur.
- XXXIV.** Id est; civitatem & Ecclesiam eandem esse rem, quod confutatur.
- XXXV.** Inde errores Houtuyni crassiores recensentur & rejiciuntur; ut: 1.) quod Religio Christiana ab imperantibus acceperit autoritatem publicam;
- XXXVI.** 2.) Quod imperantes prophetiis divinis accommodent autoritatem publicam;
- XXXVII.** 3.) Quod præcepta & regulæ Christi atque Apostolorum, vim obligandi ab imperantibus indeptæ sint.
- XXXVIII.** 4.) Quod doctores & pastores Ecclesiæ sint ministri Principis aut civitatis.
- XXXIX.** 5.) Quod Ecclesia sit in persona Principis.
- XL.** 6.) Quod Principi summum judicium definitivum & determinativum circa dogmata competit.

**XLI.**



- XLI.** 7.) Quod potestatem ecclesiasticam omnem faciat civilem.  
**XLII.** Inde ulterius Houtuynum instruere tyrannos Ecclesię persecutores, & formare hypocritas, probatur.  
**XLIII.** Principes Protestantes, licet formulas fidei promulgant novas, non jus circa interna Religionis sibi arrogasse assertur:  
**XLIV.** Probatur & declaratur.  
**XLV.** Re&te fidei formulis cives adstringi.  
**XLVI.** Moderatio juris circa ritus ecclesiasticos.  
**XLVII.** Jus Ecclesiam *reformandi* Statuum Protestantium assertur, & difficultas circa introductionem religionis discutitur.  
**XLVIII.** Non æquali, hac in parte, jure, Principes, qui limitatam per pacta potestatem habent, gaudere ostendit.  
**XLIX.** Non licet subditis vi armata, Principibus novam Religionem obtrudentibus resistere.  
**L.** De tolerantia diversarum in civitate religionum.  
**LI.** D. Franc. Burgkardi liber de *Autonomia*, in Protestantium jura circa sacra iniquus, notatur.  
**LII.** Regimen Ecclesiasticum partes suas habet.  
**LIII.** Harum prima est: *Inspectio generalis in Ecclesiam*.  
**LIV.** Altera, jus constituendi ministros Ecclesię.  
**LV.** Tertia, jus condendi leges ecclesiasticas:  
**LVI.** Quæ disciplinam & ritus Ecclesię præcipue respiciunt.  
**LVII.** Quarta, jus convocandi Synodos particulares.  
**LVIII.** Quinta, jus constituendi judicia ecclesiastica.  
**LIX.** Reliquæ partes imperii circa sacra prætereuntur, & notatur Hobbesius, qui jus clavium indirecte imperantibus tribui.  
**LX.** Finitur dissertatio repetito *Problemate*, cuius sensus genuinus hac dissertatione evolutus fuit.

### §. I.


 Ritum in superioris nostrique recurrentis jam ævi publice gestorum historia dicterium invaluit: **C U J U S E S T R E G I O , E J U S E S T R E L I G I O .** Id quibus auctoribus primum sciti vim velut publici obtinuit, nobis indagare non  
licu-

A 3

licuit. Quanquam qui Protestantes in Germania vocantur Status, id adversus Romanenses, jus ipsorum circa sacra impugnantes allegasse dicantur. Quod vicissim Cæsari, aliisque Regibus ac Principibus, in *Instrumento Pacis Osnabrug. art. V. n. 39.* tribui videtur.

§. II.

Quicquid vero ejus sit: Mihi jam propositum est, Academici loco exercitii, in ejus veritatem inquirere, ac quo juris robore illud sese tueatur, paullo altius expendere. Præsertim cum nonnulli Principes eodem, magno humanæ ac Christianæ libertatis damno, in civitatibus abuti soleant.

§. III.

Quod, ut arbitror, commodum fiet, si ante paucis demonstravero, Religionem non esse arbitriam; sed legem divina mortalibus insita requiri: ac inde necessitatem ejus posse ab omnibus, ac deberi etiam cognosci.

§. IV.

Apud omnes enim gentes cultiores, imo barbaras quoque quæ non plane obbrutuerunt, in confessu est, hominem ductu rationis congenitæ, indagare & cognoscere posse, esse aliquam potentiam superiorē eamque infinitam, a qua omnis motus creaturarum promanet, & quod hæ non existant à seipso. Deinde eam potentiam non esse brutam, sed intelligentem; cum omnia prudenter ordinariit creata, eademque ne intereant conservet. Homo autem, si semetipsum contempletur, nobiliorem se esse creaturam, ac adeo Deo magis curæ, quam omnes alios, deprehendet.

§. V.

Hinc cum *objectum* cultus, cum *obligatio* hominis ex beneficiis in se collatis, cum etiam *ratio*, ac adeo *subjectum* cultui

cultui idoneum adsit; quivis ex rationis lumine noscere potest, se Deum colere utique debere. Atque hic cultus *Religio* vocatur, abstracta qualitate, quæ salutarem facit. Cujus partes passim describuntur, satisque alias notæ sunt, certe esse debent Christianis.

### §. VI.

Verum cum homo sibi relictus pervidere non possit, qui cultus Deo placeat, aut ipsum sibi propitium reddere queat; opus est *revelatione*, qua de modo cultus Deo placentis constet. Hae cum proprio vitio, aut negligentia caruerint gentiles, vanos eosque absurdos finxere modos. At cum Deus hominem cultus considerit capacem, rationi utique congruit; ut dato, qui cultu dignus sit, dato etiam qui ad cultum idoneus sit, dari etiam revelationem oportere, unde de cultus Dei vera ratione certo constet. *Revelationis* hujus divinæ veritatem post alios Theologos, non ita pridem doctissimus Gallorum *Huetius*, *Demonstratio Evangel.* erudite asseruit.

### §. VII.

Atque hinc, cum *Religio* a dupli fonte promanet, in *naturalem & revelatam* a Theologis passim distingvi solet. Utriusque vero discrimin & capita, quibus constat, explicare nostri instituti jam non est.

### §. VIII.

Id potissimum in controversiam venit; an *Religio*, seu *naturalis*, seu *revelata*, sit res *arbitraria*, quod ob rationes, §. 3. 5. 6. jam adductas, negamus. Deinde, si, ut demonstravimus, *necessaria* est *Religio*, quæritur; an homini incumbat, curam Religionis per se exercere, in quocunque statu, naturali & libero; an civili degat? Et hoc est, quod affirmamus.

### §. IX.



### §. IX.

Homo quidem corporis sui curam alteri permettere potest; non vero animæ, quæ Religionis veræ exercitio in primis constat, qua beatitudini æternæ præparatur. Quia quisque, dum ratione prædictus est, ad culturam mentis a Deo ad imbuendum cultu sui datæ obligatur; ut dignum se tam benigno Creatore reddat: qui tantis prærogativis præ animantibus brutis hominem ornavit, eumque post hanc vitam caducam, æternum etiam beatum esse vult.

### §. X.

Unde si quis maxime extra omnem societatem (ut Eremitæ olim) vivat; ideo religionis expers non est. Quia prima obligatio ad Deum colendum non ab arbitrio aliorum aut ingenio civitatis dependet; sed a vinculo rationis naturali, qua Creatori suo obstrictus est homo. Etsi, dum is opus hac in parte etiam informatione & cultura mentis habet, non negamus, parentibus in primis incumbere, ut a teneris liberi religione vera cultuque Numinis supremi imbuantur: ne in feritate degenerent, pecudumque more, velut oblii nobilitatis suæ, quam præ bestiis a Creatore Opt. Max. indepti sunt, vivere adsuescant. conf. Lactantii l. III. Instit. c. 10.

### §. XI.

His præstructis, proprius ad questionem veniendum est: In qua illud præcipue discutiemus; quo usque potestas Imperantis, sub cuius imperio regio, in qua cives in societatem securitatis gratia coaluerunt, circa religionem & sacra, sese extendat: vel; an Imperantes, ideo quod regionem cum imperio teneant, etiam jus imperandi civibus suis quamlibet religionem habeant, ac pro lubitu, sacra omnia ordinare ac exercere queant? De hoc, quod *ut etiam* *hinc* *anima* est, paullo altius nunc dispiciendum venit.

### §. XII.



### §. XII.

Affirmant id *Thomas Hobbes*, pessimus sacrorum interpres, in libro sacerrimo *Leviathan* inscripto, & *Adrianus Houtuyn* *Jctus Batavus*, in *Politica Contracta Generali* & not. §. LXIII. seqq. Nos vero, solidis rationibus subnixi, negamus.

### §. XIII.

Ac quod Hobbesium attinet, non mirum adeo ejus philosophiæ perito hoc placitum videri potest; cum justitiam legumque omnium vim ab imperio civitatis derivet; ita, ut ante constitutas civitates ipsi nihil justum, nihil injustum, nihil sanctum, nihil profanum habeatur. Ideo in *Leviath.* Cap. XVIII. ad summam, inquit, potestatem attinet opinionem & doctrinarum omnium judicatio: & Cap. XXVI. Ceterum, ut divina supernaturalia prædicantibus obedire aliquando, & alicubi debeamus, causa in promtu est; nempe si ea, quæ prædicant, pro legibus haberi jussent civitas. Est enim de lege naturali, quæ divina etiam est; ut in iis omnibus, quæ jussent civitas, civitati obediamus, quamquam non, ut credamus. Credere enim animi actus est, non a Deo jussus, sed factus; quem, quando & quibus vult. Deus dat negatque; Et NON CREDERE, legum divinarum positivarum, negatio, non transgressio est. Pactum, quod modo supernaturali cum Abraham pactus est Deus, tale est: FOEDUS MEUM INTER ME ET TE, ET SEMEN TUUM POST TE, QUOD SERVABITIS, HOC EST. Semini Abrahami nondum existenti pactum hoc revelatum esse non potuit. Quare ergo pro lege divina habere obligati fuerunt Israëlite, id quod pro lege divina ab ABRAHAM declaratum est; nisi quia in filios & servos suos summam habuerit ABRAHAMUS potestatem? Tandem concludit: Dico ergo, in rebus omnibus legi morali, i.e. legi naturæ non contra

B

riis,



ritis, cives omnes obligari, ut pro lege divina habeant, quicquid a lege civili pro lege divina declaratur. Manifestum enim est, id quod non est contra legem naturalem, fieri posse a summa potestate legem civilem. Neque in ulla parte orbis terrarum permisum est, aut fuit civibus, mandata divina alia factis suis pretendere, praeter ea quae a Civitate approbantur. In APPENDICE AD LEVIATH. Cap. 2. clarius loquitur: Religio & agnitio potentiae divinae in omni civitate lege imperatur. In Libr. de Cive Cap. XVII. §. 27. ostendere vult, interpretationem Scripturae S. dependere ab autoritate Civitatis. Ideo ipsi Ecclesia Christiana, & civicas Christiana idem sunt. Et in Civitate Christiana, nullam esse repugnantiam inter mandata Dei & civitatis: doctrinas, quae hodie controvertuntur de Religione, spectare plerasque ad jus regnandi, de Cive Cap. XVIII. §. 13. 14. Unde in nefanda sua Historia Ecclesiast. statuit, ad Religionem Christi anam amplectendam, cives demum imperante Constantino M. fuisse obligatos; quippe qui illi autoritatem conciliaasset publicam.

#### §. XIV.

Ex his placitis Hobbesianis, sane improbis, Houtuynus in Politica sua allegata scribit: Princeps sacra regit ut profana externa, & lege divina non definita; hinc personas, res, actiones distinctim ab Christi imperio. Religionem publicam facit quamlibet. Qui Religionem doceant, sacram faciant functionem, ministros publicos constituit, deponit, putnit. Imperium, jurisdictio omnis, & legislatio ad eundem pertinet: Neutrum, vel quod aliud est imperium, adnexum ministerium habet. Et ipsa summa potestas non leges tantum proprias, sed & naturales, & Veteris, & Novi Testamenti publicas facit, vimque publicam & robur publicum, in civitate accommodat. Leges divinas, cum naturales tum pos-

positivas, interpretatur, & doctrinae controversias judicat, eademque iudicio suo definitivo fidei articulos determinat &c.

### §. XV.

Hæc cum ex mente Hobbesii scripsisset, & in notis suis ad Politicam suam Contract. §. LXIII. seqq. adstruxisset etiam; mirari subit, cur sub finem earum, inter errores Hobbesianos referat: imperanti simpliciter obediendum in materia religionis & cultus divini, etiam ei, qui aliter definitum lege naturali vel divina putet: singulis indistincte nullum de religione concedit iudicium, de Cive Cap. 15. n. 18. Cap. 16. n. 18. Leviath. Cap. 42. pag. 512. Cap. 43. p. 620. 621. Cum ipse tamen, quæ in Hobbesio reprehendit, probare annis sit prolixius.

### §. XVI.

Nos, ut noxias has insanientium Politicorum sententias jugulemus, nec quod Imperantibus hac in parte competit jus, temere impugnabimus; nec, quod ipsorum non est, adulandi studio tribuemus. Id ut distincte & perspicue fiat, ante aliquot hypotheses, quas nominati jam autores fovent, destruemus, saniores substernendo, quæ Iuri naturæ ac divino maxime conveniunt.

### §. XVII.

Id igitur hic ante omnia probe attendendum venit, civitates primum non Religionis causa fuisse institutas; qua ad hanc excolandam, ab initio rerum, cum nondum essent civitates, homo fuit obstrictus. Et, si post conditas civitates quis maxime ab aliorum consortio remotus vitam agat segregem, non tamen ista obligatione solutus est. Finis enim illius per se, non civitatis quatenus ab Ecclesia distinguitur, commodum aut salutem; sed longe sublimius quid, æternam puta beatitudinem, post hanc vitam expectandam, respicit. Notum præterea est, Civita-



tes non cum ipsa generis humani origine extitisse ; sed aucto illo postea securitatis gratia constitutas fuisse ; ut jure quisque suo, in societate hominum majori inita, tuto frui posset.

### §. XVIII.

Nec obstat nostræ sententiæ, quod Religio civilis societatis vinculum vulgo dicatur. Id enim non alio sensu accipiendum est, quam quod, amota reverentia divini Numinis, homines natura sua ad nocendum aliis proclives, pactis, quæ mutuæ securitatis causa in civitatibus inita fuerunt, posthabitæ, occasione oblata, opprimere se invicem non adeo verituri sint; cum sublato imperio civili nihil sit, quod in terris metuere habeant. Quapropter *B. Pufendorfius de Habit. Relig. ad vitam civilem* §. 5. recte inde colligit, Religionem non esse inventum ingeniosum eorum, qui civitates condiderunt; cum illa sit longe antiquior & prior civitatibus, utpote generi humano coæva : etsi non defuerint, qui eadem ad respectus suos civiles abusi sunt. v. *Plutarch. l. i. de Placit. Philosoph. c. 7. & Polyb. l. X. initio.* Quod & Romanos olim fecisse historia testis est. Nam illi, licet sacra sua e Græcorum superstitione hausissent; solerter tamen ea ad statum vel utilitatem Reipublicæ flectebant, ut populi animos astute fictis per augures vaticiniis & auguriis, quo vellent, trahere facilius possent. Ideo Cato Major augur ipse, mirari se dixit aruspicem, si quando in alium aruspicem incidisset, temperare sibi a risu posse, quod uterque disciplinam fabulis subnixam profiteretur.

### §. XIX.

Quamvis igitur cives coëuntes primum in civitates, voluntates suas iis, qui imperium accepere, subjecerint; ut quod illis placeret, & sibi non displiceret; quippe quibus obsequii gloria tantum superesset; non tamen voluntatem

tem suam etiam circa sacra, vel cultum Numinis in solidum  
ipsis submisissé leguntur. Et, si id quidam fecerint, nullo  
jure id factum, putandum est: Cum quisque suæ consci-  
entiæ, ad quam Religio maxime spectat, libertatem reser-  
vasse sibi ideo censeatur, quod cura animæ cuivis debeat  
esse propria; nec imperium civile ad illam directe exten-  
dendum sit.

### §. XX.

Deinde constat, Religionem non eorum ex genere  
esse, quæ imperari aut cogi possunt: Suaderi tantum ido-  
neis vult argumentis; cogi nescit. Informat enim men-  
tem & voluntatem de iis, quæ de Deo ejusque voluntate  
credenda, aut quæ jussu ejus facienda sunt. Ea autem ne-  
mo approbat, nisi de veritate istorum congruis argumen-  
tis in conscientia sit persuasus. Hæc persuasio nulla vi ex-  
terna aut armis, sed argumentorum solidorum pondere  
efficitur. Ac quod Christianam eamque veram attinet  
Religionem, opus est gratia & supernaturali lumine, quo  
solo per verbum Dei revelatum fides accenditur. Qui i-  
gitur vim hic adhibet aut inferre conscientiis audet, jus  
Dei invadit, hypocritam aliud ore profitentem, aliud cor-  
de prementem, citius efficiet, quam sincerum religionis  
confessorem. *Quis*, ait Lactantius Lib. V. Instit. Cap. 14.  
*imponat mibi necessitatem vel colendi quod nolim, vel quod  
velim, non colendi.* Quo sensu etiam Bernhardus Serm.  
LXVI. in Cantic. recte dixit: *Fidem suadendam, non impe-  
randam esse.* Quia iterum dicente Lactantio l. V. c. 20. ni-  
bil est tam voluntarium, quam Religio.

### §. XXI.

Et videre hoc licet in prima Christianæ religionis pro-  
pagatione: In qua neque Christus, neque Apostoli vim  
adhibuerunt, aut adhibendam suaserunt unquam. Homi-

nes docebant, hortabantur, obsecrabant, iram Dei denunciabant. Si violenta hic remedia Deo probata fuissent, quam facile ipsi fuerat Imperatores Romanos Regesve Partorum excitasse, ut horum ministerio destruxisset idola, & cives ad amplectendam Christianam fidem compulisset. At Numinis sapientissimo placuit piscaiores & imae plebe homines ad tam gloria ministeria instruere; ut gloria ipsius enitesceret magis, & mortalium obscuraretur omnis. Hæc cum animo expendisset suo *Illustris vir Thuanus in Epist. Nuncup. Histor. ad Henricum IV. R. Galliae* ita scribit: *Nempe ad cetera, quibus hoc infestum virtuti seculum scatet, mala, religionis dissidium accessit, quod jam toto pene seculo orbem Christianum continuis bellorum motibus vexat, deinceps vexabit, nisi tempestiva remedia atque adeo alia, quam quæ hactenus adhibita sunt, ab iis, quorum præcipue interest, adhibeantur.* Nam experientia satis edocti sumus, ferrum, flamas, exilia, proscriptiones, irritasse potius, quam sanasse morbum menti inherentem: ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpore tantum penetrant, sed doctrina & sedula institutione, quæ in animum leniter instillata descendit, opus esse; alia quippe omnia pro arbitrio civilis magistratus atque adeo principis sanciuntur, sola Religio non imperatur, sed ex præcepta veritatis opinione, accidente divini Numinis gratia, bene preparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent; quin obfirment potius animos, quam frangant aut persuadeant, &c. confer Baconi de Verulamio Serm. si-  
del. III. de llnit. Eccl.

### §. XXII.

Quæ cum ita se habeant, videndum nunc, quid juris summis Potestatibus circa Sacra seu Religionem Christianam, quæ sola vera est, competit, & quid non. Ubi ex Constantini M. apud Eusebium de Vita ejus Lib. IV. cap. 24,

ser.



sermone ad Episcopos in convivio habito, (quō sese Episcopum τῶν ἀντὸς τὴν ἐκκλησίας dixit,) ea quae ad Religionis Christianæ INTERNA & quae ad EXTERNA spectant, accurate discernenda sunt. confer Euseb. l. i. de vit. Constant. c. 37. ILLA divina dogmata ac præcepta vocantur, quae ex sola divina revelatione innotescunt, ac a Theologis credenda & agenda appellantur. In quibus præcipua divini cultus ratio consistit. EXTERNA autem vocantur, quae ad publicum cultus divini in civitate ministerium seu exercitium spectant, ac vel personas, vel res & actiones Ecclesiasticas respiciunt; ut pastorum & doctorum publicorum constitutio, ceremoniarum & festorum ordinatio, legum ecclesiasticarum promulgatio, hæresium noxiarum coercitio, & disciplinæ ecclesiasticæ cura vel emendatio, aliaque de quibus infra dicemus.

### §. XXII.

Præmissa hac distinctione, negamus ea, quae INTERNA RELIGIONIS vocantur, humanarum Potestatum imperio subjacere. Quia quod a solo Deo in unam partem definitum aut introductum est, nullus imperans efficaciter mutare aut prohibere potest. Ideo non est summæ Potestatis, nova fidei capita condere, fidem innovare, novos Dei cultus aut nova instituere sacramenta; cum nihil quicquam ad salutem credi fierive possit aut debeat, nisi quod Deus ipse determinavit. Quare & hæc docere aut tractare, nonnisi pastorum & doctorum Ecclesiæ est. Quæ autem EXTERNA sunt, & ad publicum cultus divini exercitium pertinent, summæ potestatis humanæ imperio exempta non esse, tam ex divino quam humano jure demonstrari potest. Imo spectat etiam huc potestas circumstantias quasdam loci, temporis, modi, actionibus a Deo imperatis præscribere, ut omnia fiant εὐθυμῶς κατε

*uarii nūxi.* Extant hujus generis præcepta in Novellis  
Cæsareis, passim nota & adprobata.

§. XXIV.

Verum cum etiam INTERNA, quæ vocantur *Religionis*, moderatione, emendatione aut directione opus ha-  
beant; hoc respectu summis imperantibus & quidem or-  
thodoxis, tum *qua* Principes sunt, tum *qua* præcipua Eccle-  
siæ membra, jus aliquod circa ista quoque tribuendum est.  
Cujus tamen norma semper verbum Dei revelatum esse  
debet. Quo ipso vero nolumus confundi jura doctorum  
Ecclesiæ circa sacra, cum juribus Imperantium. Quæ B.  
*Hülfemannus Brev. Cap. XX. §. VIII. n. 4.* distinctione inter  
potestatem formaliter spiritualem, & formaliter ecclesiasti-  
cam adhibita distinguit; illam doctoribus, *banc Imperan-*  
*tibus vendicando.* Recte enim his potestatem architecto-  
nicam circa omnia sacra Christiana eorumque partes, §. IX.  
sequ. denegat. Etsi alias, sensu non incommodo, potestas  
Principum Christianorum circa functiones sacras dici quo-  
que possit architectonica. De quo vid. *Grot. de Imp. S. P.*  
*circa Sacr. Cap. II. n. 1. & 2.* & *Ziegleri de Jur. Maj. l. 1. c.*  
*XIV. §. 10.*

§. XXV.

Atq; hinc si statum & habitum Religionis Christianæ  
contemplamur, negamus imperium & functionem sacram in  
una persona consistere posse: hoc est, non potest sum-  
mum imperium & pastorale munus in unam personam re-  
cte coalescere. Nam Apostolus vetat Christo militantem,  
(quod de pastorali militia interpretantur) implicari nego-  
tiis seculi, qualia sunt imperii. *2. Timoth. II, 4.* Quod ad in-  
feriora etiam civilia munera extendunt *Canones*, qui vo-  
cantur *Apostolici*, VI.LXXX.& LXXXII. Idem repetitum est  
in Synodo Carthaginensi, quæ Honorio & Theodosio Im-  
pera-



peratoribus celebrata est, *Can. XVI.* & Chalcedonensi Synod. *Can. III. & VII.* Nam utrumque munus tam grave & difficile est, ut totum hominem desideret. Taceo quod alios mores postulet officium Principis, alios pastoris. Quare Maximilianus I. Imperator cum Pontificatum cum Cæsareo munere conjungere meditaretur, morem illum conjungendi imperium cum sacerdotio qui apud diversas gentes olim diu satis obtinuit, respexisse videtur. Nam juri naturali & gentium ista conjunctio non repugnat, ut recte Grotius de *Imp. S. P. circa sacra Cap. II. n. 3. 4. & 5.* probavit. Apud Christianos autem valet illud Hosii Cordubensis adversus Andronicum, ex Athanasio ad vitam solit. agentes: *Neque igitur ait, fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu sacrorum & thymatium babes potestatem Imperator,* hoc est jus adolendi: alludit enim ad Oziæ historiam. Cæterū cum Episcopi post Caroli M. tempora, imperium civile usurpare cœpissent, cura sacerdotii ab ipsis neglecta fuit. Ut ita, quæ paupertate ac patientia primum increverat sacerdotalis autoritas, nomen Christianum duntaxat, ut ambitionis atque avaritiæ instrumentum retinuerit; cum re ipsa sacerdotes ac Episcopi ad illos mores, quos in pagana Roma Paulus Apostolus notat, delaberentur, ac quod Christus vetuerat, *Luc. XXII. 25. 26.* dominatum exercent.

### §. XXVI.

Cæterum vero quod potestatem circa sacra, quæ EXTERNA vocantur, attinet, eam summis imperantibus competere, *tum* ex fine imperii, abstracta qualitate religiosis seu cultus, *tum* ex manifestis juris divini dictatis probari potest. Finis enim imperii apud fideles non tantum est, ut vitam quietam & tranquillam in omni honestate homines degant; verum etiam in omni pietate, quæ a sola

C Reli-



Religione est. Cui ergo finis procuratio incumbit, ei jus  
mediorum, quæ ad illum faciunt, non potest denegari: Ulti  
hoc respectu etiam summa potestas, *ministra Dei* εἰς τὸ αἴγα.  
θὸν, *ad bonum*, *juxta S. Pauli doctrinam Rom. XIII. 4.* dici queat.  
Quod cum intellexissent olim Reges Ebræorum, David,  
Salomon aliique, hanc potestatis curam sedulo gesserunt,  
vetitisque etiam a Deo actionibus materiam & occasio-  
nem subtraxerunt. Nam hæc potestas vim quandam  
αὐτοκαταστήν seu coactivam haber comitem. Sic Ezechi-  
as amovit excelsa, fregit statuas, excidit lucum, ipsum et-  
iam æneum serpentem a Mose factum, quod ei adoleretur,  
communuit. 2. *Reg. XVIII.* Josias comburi jussit idolis  
consecrata, abolevit idolorum sacerdotes, lucum incendit,  
excelsa & altaria destruxit. 2. *Reg. XXIII.* conf. *B. Hülsemanni*  
*Brev. Cap. XX. §. VIII. & Petr. de Marca de Concord. Sacerdot.*  
*& Imper. libr. II. c. X.*

### §. XXVII.

Atque ut id facherent, sacratissima & certissima legis  
divinæ autoritas ipsos adstringebat. Jubentur enim Re-  
ges observare totam legem divinam, servire Domino,  
Christum osculari, *Deut. XVII. 19. Jof. I. 8. Psal. II. 12.* quod  
*Augustinus contra Crescon. Lib. III. c. 51.* eleganter exponit.  
Et hoc Principes ac Imperatores Christiani sibi quoque  
præceptum fuisse agnoverunt, meritoque ex quo Christia-  
ni facti sunt, istius curæ partem sibi vendicarunt, ut Con-  
stantinus M. Theodosius M. qui circa vitæ exitum, Ambrosio  
teste, de statu Ecclesiarum maxime sollicitus fuit, & alii plu-  
res, ex historia notissimi. Justinianus *Novell. 137.* eleganter  
hanc curam ἡρίων νόμων Φυλακῶν vocavit. Neque fuit,  
qui hoc jus imperantium in dubium vocaret ante, quam  
Episcopus Romanus Monarchiam ecclesiasticam variis ar-  
tibus, in Principum civitatibus condere molitus esset. conf.  
*B. Ziegleri de Juribus Maj. l. 1. Cap. XIII. §. 16. 17. seqq.*

### §. XXVIII.



§. XXVIII.

Erravit hic vir cætera doctissimus *David Blondellus*, quando in eruditissimo tractatu *de Jure plebis in regimine ecclesiastico p. 86. seqq.* contendit, jus circa regimen ecclesiasticum in Principes Christi fidem professos & magistratus ab iisdem constitutos, nec a clero, nec a plebe (cui ipse vendicare nititur) translatum esse, vel transferri potuisse. Nimirum decepit virum doctissimum mos & consuetudo veteris Ecclesiæ, quæ tribus primis ante Constantium M. seculis obtinebat. Quo tempore, cum Imperatores a fide Christi alieni, Ecclesiam ut hostes premerent, ac Christianam religionem delere etiam molirentur; utique regimen Ecclesiæ clero & populo permittendum fuit. At vero postquam a Constantini ætate Principes nomen Christo dedissent, jure sibi regimen Ecclesiæ arrogarunt. Nec populus Christianus hac in parte ipsis contradixit, aut jure obniti potuit. Inde *Socrates Lib. V. H. E. præfat.* dixit: *Ex quo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab ipsis dependisse.* Hoc sensu in antiqua inscriptione *Constantinus Religionis & fidei auctor* dicitur. Et *Basilius Imperator Ecclesiam navim vocans universalem, ejus sibi gubernacula, ait, a Deo concredata.* Circumfertur & nomine *Eleutherii R. Episcopi* vetus epistolium, quo Regem Britannum *Vicarium Dei* vocat *in regno suo*, agens de negotio Religionis. Nempe quia ecclesiasticum regimen ferme sequitur τὸ μολιῆιας τύπον. Quod ex Genevensis, Anglicani & Germanici regiminis ecclesiastici historia cognosci potest. v. *Commentarium de Rebellione Anglic. R. Manlii Equ. Aur. part. I. pag. 3.* Genevensis enim Ecclesiæ regimen cum ad statum fere democraticum sit accommodatum; (ut gubernatio Ecclesiæ olim prima fuit, cum ad morem Synagogæ in dispersione Judæorum, mixta ex senatu ecclesiastico & ipso po-

C 2

pulo



pulo esset;) adparet, illud non quadrare ad statum regni Anglicani, ubi Episcopale regimen obtinet. Unde Puritanorum, Presbyterianorum & Episcopalium nomina in sectas abierunt.

### §. XXIX.

Quod ergo populi & cleri sub gentilium aut profanorum principum imperio fuit jus, id non valere censendum est, quando Ecclesia Christianos accepit principes, quibus divino & gentium jure, potestas seu imperium circa sacra competit, quo etiam sine juris læsione plebis usi sunt. Horum exemplum imitati Reges & Principes superiori ævo, cum per Germaniam, Angliam, Daniam, Sueciam adversus invectas a seculis aliquot in Christianum orbem doctrinæ & disciplinæ sacræ corruptelas protestati, Ecclesiam cum pastoribus suis repurgare cœperunt, strenuosque se tam fidei quam religionis vindices, constitutis ubique senatibus ecclesiasticis præstiterunt, ac spartam, quam nacti erant, per Dei Opt. Max. gratiam pro virili ornarunt. Neque injuria facta est plebi, (ut quidem *Blondellus* p. 66. 67. l. c. existimat) quod ab omni consiliorum & potestatis participatione exclusa in hac parte fuerit. Qui enim jure suo utitur, alteri non facit injuriam. Id quod *H. Grotius* in opere postumo incomparabili de *Imperio Summar. Potest. circa sacra* (quod *Seldenus* l. i. de *Synedr. Veter. Ebraor. c. 10. p. 232. & *Cl. Saravivus Epist. ad Salmasium* p. 171. eximie commendant) accurate satis demonstravit. confer *eius cap. X. §. 13.**

### §. XXX.

Atque hoc sensu, quem explicuimus, exaudiri debet tritum illud supra allatum dicterium: CUJUS EST REGIO, EJUS EST RELIGIO. Hoc est, qui in civitate, in qua Ecclesia est, imperium tenet, is quoque si Christianus

nus est, potestatem circa sacra & religionem quoad *externa*  
habet; ita, ut possit verum Dei cultum in s. literis revela-  
tum, præscriptis ad exercitium ejus necessariis circumstan-  
tiis ordinare ac dirigere: ut *Ἄξιος ἡ τέλεσθαι εὐχημοσύνη* in Ecclesia  
serventur, ac quæ in prima & secunda Decalogi tabula præ-  
cipiuntur, a civibus & subditis recte observentur. *Quo*  
respectu ipsi etiam imperantes *utriusque tabula custodes*  
vocantur.

### §. XXXI.

Perperam vero, ne dicamus improbe, illud dicterium  
ad universam (ut ita loquamur) Christianæ Religionis sub-  
stantiam aut corpus extenditur; quasi in arbitrio summa-  
rum Potestatum sit, cultus divini interna (quo credenda,  
& salutis æternæ media referimus) pro lubitu præscribere  
seu imperare, ac quæ ad cultus externi exercitium & mini-  
sterium spectant, pro nutu suo ordinare & dirigere omnia.  
*Quo* admissō, Religio non nisi inventum humanum erit,  
civesque tenebuntur quamcunque imperantes præcipiunt  
Religionem amplecti, transcripta quippe in ipsos omni  
animæ cura; quæ tamen, ut supra probavimus, cuivis mor-  
talium propria esse debet.

### §. XXXII.

Istius sententiæ sane improbæ autores, atheismi jure  
quis arguat? Quod per illam Principi integrum fiat, pro  
varia temporum & utilitatis publicæ ratione, pro lubitu de  
rebus fidei decernere, quod ipsi visum placitumque fue-  
rit. Indifferentismus hic certe in Religione, aut nullis, aut  
paucis gradibus ab atheismo distat. Nec obscure etum fo-  
visse Hobbesium, cum ex multis aliis testimoniis, tum et-  
iam ex placitis supra §. 13. de Religione allegatis, manife-  
stum est. Nam Religionem ab arbitrio summorum Im-  
perantium derivat, ut quæ illi de ea sanciant aut præcipi-  
ant,

ant, amplectenda civibus ; quæ vetent, rejicienda sint. Ab hoc quidem dissidere videtur, quem supra §. 14. nominavimus, *Houtuynus*, cum interna Religionis imperio civili subjacere negat. Enimvero dum *Principem* quamlibet religionem facere publicam, & judicio suo definitivo fidei articulos determinare, asserit ; tradens etiam , *Christum* & *Apostolos* regulis in N. Testamento propositis non potuisse accommodare vim publicam, eoque eas mansisse privatas, donec ad fidem conversi *Principes*, eas sibi receperere, ex quo regulæ factæ publicæ, dum ipsi servari pro legibus voluere ; non videmus, quid hac in parte rectius Hobbesio sentiat. v. *Hobb. Leviatb. c. 42.* & *D. Templeri Ideam Theolog. Leviathanis, dogm. XXXIII.* Quasi vero, quæ Deus, quæ Christus tum ad credendum, tum ad faciendum publice promulgavit, ab imperio civili ejusque auctoritate efficaciæ quid accedere possit. Quid hoc aliud est, quam autoritatem publicam Religionis Christianæ tantum ab arbitrio imperantium derivare ? Perstrinxit hac de causa atque confutavit has profanas viri sententias, *B. noster Pufendorfius in Appendice libri sui de Habitu Relig. Christ. ad Vitam Civilem. conf. laudati modo D. Templeri libr. cit.*

### §. XXXIII.

Περὶ τὸν ψεῦδος *Houtuyni* ex Hobbesio haustum, confusio civitatis cum Ecclesia est, quæ nisi accurate distinguantur ; aut Ecclesiam a civitate plane absorberi, aut illam, cum religione hujus imperio subjici, necessum est, statuantur. Unde non minus dura Ecclesiam conditio manere potest, si omne jus circa sacra, citra omnem exceptionem, in arbitrium Principis conferatur, quam si illa R. Pontificis tyrannidi iterum subjiciatur. Discrimen vero civitatis, hoc est status publici, & Ecclesiæ, quæ societatis aut collegii indolem habet, nullumque statum in civitate, pecu-

peculiarem format, aut illum alterat, B. Pufendorfius libro de *Hab. Rel. Christ. ad vit. civil.* §. 14. seqq. & §. 30. seqq. accuratissime demonstravit. confer *Grot. de Jur. Summ. Potest. circa sacra Cap. IV.* §. 10. seqq. Πεπτον id quoque ψευδος parasitorum Pontificis R. est, Ecclesiam esse statum qui imperio peculiari, & quidem monarchico regi debeat, quod B. Pufendorfius in aureo tractatu de *Monarchia Pontificis R.* destruxit. Confer H. Grot. de *Imperio Summar. Potest. circa sacra Cap. IV.* §. 10. & Doctoris Sorbonici doctissimi *Edmundi Richerii Histor. Concil. General.* librumque ejus de *Potestate Eccles. in rebus temporalibus*, ante hos duos annos editum.

### §. XXXIV.

Omnia illa profana placita *Houtuynus* ex falsis & improbis, ut dixi, *Hobbesii* placitis derivat, quando is cit. libro de *Civ. Cap. XVI.* §. 21. & *Leviath.* c. 33. p. 182. statuit, eandem rem *civitatem*, eandem *Ecclesiam* esse. At vero licet Ecclesia & civitas iisdem constet hominibus; non tamen qualitatibus tantum, sed interna compage ac capite quo reguntur, maxime differunt. Nequaquam enim Princeps pari, quo civitatis jure, Ecclesiæ caput dici potest, quod *Houtuynus* §. 68. affirmat. *Hujus* enim in se consideratæ caput Christus tantum est, qui verbo suo, per doctores annunciat, Ecclesiam regit; sic, ut ne vicaria quidem potestas (spiritualis) gubernandi Principi concessa sit; illius vero caput Princeps est, legibus promulgatis civitatem ceu corpus civile, autoritate atque vi publica robatur regit; cum Ecclesia spirituale corpus a longe sublimiori principio, quam civitas, suum ortum ac *oīsau* habeat. Est enim societas hominum fidelium seu recte credentium ejusdem doctrinæ sententiis, ac ritibus sacris, sub uno capite Christo cohærens; ita, ut statum civilem nec alteret nec

con-



convellat, sed potius firmet, *Rom. XIII.* ac cives reddat  
meliores, *i. Tim. II. 2. 3.* Hæreses enim quæ in Politia & œco-  
nomia intolerabiles sunt, suas non facit, sed rejicit. v.  
*Form. concord. Protestant. c. XII. p. 624. seqv.* Romanensi-  
um ergo παποναισεγιας quidem ista Hobbesii placita con-  
vellunt; at Houtuynus, dum Scyllam sic evadere contem-  
dit, in Charybdin incidit, hoc est κασουεγπανιας, quam  
Theologi vocant, stabilit; cum media via incedere debu-  
isset. Licet enim Religionis Christianæ interna, h. e.  
dogmata, sacramenta & fidem imperio civili subjicere se,  
videri nolit §. LXIII. summis tamen imperantibus  
jus summum & absolutum circa sacra in universum tribu-  
it. Imo crassius multo quam Romanenses philosophatur,  
quando §. LXIV. p. 134. scribit, *Principem Religionem publi-  
cam facere QVAMLIBET;* & sic etiam idololatricam aut  
plane fictam. Quid improbe magis ac profanum dici pote-  
rat? Sententia hæc fuerat Principis cuiusdam Tartaro-  
rum, qui defuncto Stephano Batorio Regnum Poloniæ  
ambivit, indifferentismum Religionis publice profitendo:  
*Tuus Pontifex, meus Pontifex, Tuus Lutherus, meus Luthe-  
rus.* Mirum igitur non est, quod Houtuynus pag.  
169. ethnicis quoque Principibus jus definienda-  
rum controversiarum inter Christianos de religione orta-  
rum tribuit: Quasi cœcus de colore judicare posset. Ni-  
mirum admisso uno absurdo, plura statim conseqvuntur.  
Evidem *Grotius* libr. cit. cap. V. §. 12. infidelibus Princi-  
pibus judicium de rebus sacrīs tribuit, exempla & testimo-  
nia ex s. scriptura adducendo: verum illa non respiciunt  
judicium dogmaticum, sed externa religionis, ejusque li-  
berum exercitium. Hoc respectu Paulus *Act. c. XXIV. sqv.*  
coram Felice & Festo, qui Imperatoris R. vicem gere-  
bant, judicari se passus est. *Quærebatur enim præcipue,*  
an

an crimen esset ; docere Evangelium & asserere resurrectionem mortuorum? negabat Paulus: Nec accusatores eum criminis convincere poterant. Actore igitur non probante, reus ex communi gentium jure absolvi debuisset.

### §. XXXV.

Sed ut errores Houtuyni crassiores in compendio velut notentur, eas recensebo paucis, subjecta statim illorum refutatione. Falsum (i. est doctrinam Christianam ab Imperantibus indipisci publicam auctoritatem §. 64. PUBLICUM enim dicente Houtuyno p. 135. est, quod ab autoritate imperantis est. Id duplii modo dici potest; Uno, quod a sola Imperantium auctoritate in civitate vim publicam habet, ut leges civiles & alia, quæ ad imperium spectant: altero quod propter auctoritatem divinam publice ab omnibus in civitate recipi & servari debet, quod Houtuynus §. 69. p. 175. in fine & p. 176. legibus divinis non denegat. Et hoc certe sensu doctrina Christiana, non tantum ab auctoritate summi imperantis est, cum jussu divino ab Apostolis promulgata sit Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. sed etiam publica auctoritate divina polluit; cum a cunctis mortalibus in orbe universo recipi debuerit: Ita, ut nihil efficacia ab auctoritate magistratus eidem accedere potuerit. Quemadmodum & huic doctrinæ, imperantium auctoritas nihil derogare valuit. Nam D. Petrus divinanixus auctoritate, quæ publica civili major est, Act. V. 29. cum Synedrium Hierosolymitanum Apostolis prædicacionem Evangelii interdicere auderet, reposuit; *Deo magis quam hominibus obediendum esse*. Et martyres ad imperantium tribunalia protracti, eandem profusione sanguinis asserere non dubitarunt, minime id facturi, si professio Religionis Christianæ non auctoritate divina publice sonare debuisset.

D

§. XXXVI.



### §. XXXVI.

2.) Indigna JCto Christiano sententia est, *summos Imperantes prophetiis ipsis divinis autoritatem tribuere publicam.* §. 69. ex Hobbesii Leviath. c. 33. p. 181. Certe si neque fides historica, neque salvifica ab autoritate imperantium dependet; improbum est, cum hoc JCto sentire. Si enim constat prophetiam aliquam a divino instinctu profectam, non plus fidei, inquit B. Pufendorfius, per autoritatem Principis eidem accedit, quam si idem declareret, Ciceronem bonum esse auctorem Latinitatis. Quod si autem prophetia ambiguæ ac sublestæ sit fidei, & Princeps credat, se accommodata sua autoritate plenā eidem fidem conciliare posse, delirare judicabitur. confer H. Grot. de Imp. S. P. circa sacra. Cap. III. §. 10. 11.

### §. XXXVII.

3.) Non minore est improbitas, statuere Prophetarum, Christi & Apostolorum præcepta ac regulas non ante habuisse vim obligandi publicam, quam auctoritas Imperantium eandem accommodaret. §. 69. p. 185. seqv. Sane Christi auctoritas, qua Apostoli publice instructi ejus præcepta & regulas ad recipiendum publice promulgaverunt, majoris longe valoris fuit, quam omnes leges publicæ; eoqve vim obligandi maxime publicam, (licet non civilem) quæ omnes mortales, sub cujuscunque imperio vixerint, stringeret. Quamvis pœnis civilibus, quod contra eorum indolem est, non fuerint sancita. Magnam ergo impietatem verba Houtuyni p. 188. redolent, quando Christi & Apostolorum præcepta de pœnitentia agenda, non fuisse imperativa, sed suasoria tantum, garrit.

### §. XXXVIII.

4.) Error est Houtuyni prioribus paullo minor, quod pastores & doctores Ecclesiæ, civitatis & Principum ministros

stros esse, cum Hobbesi in Lev. c. 33. statuit §. 65. contra diserta Pauli verba 1. Cor. IV. 1. 2, Cor. VI. 4. Notum enim omnibus Christianis est, munus prædicandi Evangelium & quæ huic connexa sunt, a divina institutione & autoritate dependere; licet imperantes, ut in hoc vel illo loco doctores munere suo a Deo per Ecclesiam mandato publice & libere fungantur, consentire, aut certam iis stationem assignare debeant. Nam alia hic est ratio muneris politici, (ut Cancellarii aut Ducis bellici, quod muneri Principis ob finem imperii necessarium subordinatur) quam ecclesiastici, quod sublimiorem longe ortum & finem habet. Objicit quidem Houtuynus, Ministerii functione actualis, actus publicus & externus est, qualis imperio subjicitur. Verum ut quoad circumstantias loci & temporis, imperio civili hunc subjacere concederim; ita nego ipsum actum muneris sancti in se, ejusque institutionem & autoritatem a summis imperantibus pendere. Perinde foret, ac si dixeris; matrimonium divinitus est institutum, sed a Principe dependet, ut actualiter illud iniri queat. Quid si igitur Principi in mentem veniat prohibere, ne quis actualiter matrimonium contrahat, aut ministerio fungatur; cui bono tunc matrimonium & pastoralis seu ministerialis functio erit? Tandem & ordinationem per manuum impositionem, ritum mere ecclesiasticum, Principibus seu imperantibus p. 149. tribuit; cum ante Reges sacerdotio fungi posse, asseruisset p. 140.

### §. XXXIX.

5.) Error propemodum §. 65. p. 146. vesanus est, statuere Ecclesiam esse in persona Principis, per quam totus populus loqui censeatur; ita, ut quod Principi Christiano placeat, sit placitum Ecclesiæ, indeque voluntatem Principis habere vigorem legis, ut ante ipsum Hobbes etiam



*de Civ. cap. XVII. §. 26. Leviathan. c. 43. p. 288.* deliraverat.  
In Ecclesia enim voluntas civium circa sacra, quæ divinitus  
ordinata sunt, non, ut in civitate circa civiles actiones,  
Principi subjecta est. Nisi velis declarare Principes esse  
infallibles, quem honorem Rex M. Britanniæ Jacobus I.  
declinavit, negando *Reges esse doctrinæ judices falli nescios*.  
Et absurdum inde consequeretur maximum, Principe in-  
hæresin vel errorem lapso, Ecclesiam factam esse hæreti-  
cam. v. Pufend. libr. cit. p. 211. sequ.

#### §. XL.

6.) Non levius errat *Houtuyanus*, quando §. 70.71. cum  
*Hobbesio de Civ. Cap. XVII. §. 27.* & *Leviath. c. 18. § 42.*  
Principibus summum judicium definitivum & imperativum  
circa dogmata Christiana & ipsos fidei articulos determinan-  
dos tribuit, siquidem pro talibus publice habendisint. At ve-  
ro Judicium definitivum ac determinativum est a veritate  
divina revelata petendum; illa autem in conformitate  
dogmatum cum s. literis consistit; quæ sæpe mysteria in-  
volvunt, de quibus illi, qui doctores audiunt, non raro vix  
recte judicare valent. Etsi igitur Principes Christiani,  
tanquam præcipua Ecclesiæ membra, & quibus ex lege di-  
vina rerum sacrarum cognitio, & cura *Deut. XVII. 18. 19.*  
commendatur, a judicio rerum sacrarum excludendi non  
sint; non ideo tamen illis id in solidum tribuendum, ex-  
clusis aliis Ecclesiæ membris, quorum interest, ne falsa  
dogmata publice invalescant. Quæ Principi hic circa  
dijudicandam veram a falsa religione observanda sint, B.  
*Zieglerus l. i. de J. M. c. XIV. §. 9.* tradit. Aliud autem est  
formulas fidei sacris literis conformes publicare; aliud de  
dogmatibus an s. literis congruant, solum judicare, eaque  
determinare. *Illud est Imperantium; hoc vero Ecclesiæ,*  
*quæ interdum Synodis hanc suam potestatem delegare so-*  
*let,*

let, accedente licet Principis autoritate. Quare inepte,  
ne dicam inique agunt, qui in rebus fidei determinandis  
subinde autoritatem imperantium crepant, aut sollicitant  
etiam, placitis suis fidem facturi. v. H. Grotius de Imp. S.  
P. circa sacra Cap. V. & VI. Sane si hoc non est ~~causae~~  
stabilire, nescio quid aliud sit.

### §. XLI.

7.) Ex primo illo falso, quo *Houtuynus* cum *Hobbesio*,  
*in Leviath. c. 39. Ecclesiam & civitatem unum corpus esse*,  
statuit, iste quoque error fluxit, quo negat potestatem im-  
perantium recte in ecclesiasticam & civilem seu secularem di-  
stingui, §. 67. p. 157. In unam enim quæ *civilis* dicitur, con-  
flare omnem nititur. Enimvero cum objecta, circa quæ  
imperium occupatur, diversæ plane indolis sint ; ita ut  
aliquando potestas civilis sine contactu potestatis ecclesia-  
sticæ, & hæc sine contactu civilis esse queat ; non vide-  
mus, quid obstet, utramque ex eo fundamento justis limi-  
tibus disterminare. Sane publicis gentium Christianarum  
moribus, passim in civitatibus a Constantini M. ætate,  
receptam distinctionem convellere, majoris est autoritatis,  
quam qua *Houtuynus* pollet. Confer præter *Grotium l.c.*  
*B. Hulsemanni Breviar. Cap. XX. §. 7.* Quanquam diffiteri  
non possumus, Romanenses hac distinctione abuti solere ;  
cum ecclesiasticum a civili imperio plane divellunt, eam-  
que clero aut ejus, quod singunt, capiti summo R. Ponti-  
fici assertum eunt. Quo tamen ipso imperium civile val-  
de imminui, dudum est, quod prudentiores observarunt  
ac demonstrarunt. confer *Ziegleri de Jur. Maj. l. i. c. XIII.*  
§. 16. 17. seqq. & *Hobbesii Leviath. c. 29. p. 155.*

### §. XLII.

Cæterum ex his *Hobbesii* & *Houtuyni* placitis, omni-  
um tyrannorum persecutio[n]es, quibus Christianos inno-

centes, ob dissensum circa sacra presserunt aut premunt,  
non possunt non justæ declarari. Nam ut ipse §. 70. p. 197.  
seqv. scribit, *quas doctrinæ regulas & fidei articulos servari*  
*Principi publice judicio suo interpretativo ac definitivo pla-*  
*cuerit, pro talibus publice habenda sunt, iisque obedientia a*  
*singulis ejus religionis, publice, id est, externa debetur;* præ-  
cise quidem, ut vel teneantur, vel cogi ad ea possint, ex qui-  
bus recepta publice manifestatur, si ORDINEM spectet de-  
finitio, nulla dubitatio est; Si FIDEM, verbi præconi ma-  
xime ea observanda, qui a publice probata definitione recede-  
re in actionibus publicis non debet. Totus enim judicii hujus,  
definitionis & interpretationis effectus & efficacia in coacti-  
one & obediendi necessitate per actum externum consequitur;  
quippe interposita interpretatio seu definitio, cum pars legis  
sit, eandem cum ipsa eatenus naturam induit, propter legis-  
latoris, quem singuli agnoscunt, quod ad externa, autorita-  
tem. Fit autem ut coactio sit licita, obedere non sit licitum.  
Qui dubitat, definitioni minime male adhæredit, in quo licita  
ta quidem obedientia. At cui diversum penitus ex lege Dei  
perswasum, obedere jussus, externe non debet; **HIC ILLI-  
CITA OBEDIENTIA, ET LICITA COACTIO ERIT.**  
Qui prohibetur ab actu externo, privata is contentus sit fide  
& conscientia, tacitus quid velit apud se privatim sentiat,  
linguae sue ne indulgeat, actiones externas refrenet, nec ab  
imperio ei periculum erit, &c. In his verbis Houtuynus  
Principibus tum potestatem cogendi ad profitenda sacra  
ipsis probata tribuit, tum hypocritas instruit, ut exter-  
ne quidem sacra, quæ Princeps profiteri jussit, simulent;  
animo autem vera sua sensa tegant aut premant. Hoc est,  
quod Themistius olim dixit; *purpure cultores facere, non*  
*Dei.* Quid ineptius est, coactionem dicere licitam; obedi-  
re vero non licitum? An potestati legitime imperanti ob-  
sequii

sequii obligatio non semper respondere debet? Si obedire non est licitum, quare alteri cogendi jus tribuitur? Nempe tyrannidis patronum agit, ut hypocritas formet, qui externa professione verbisque & gestibus defungi queant, quæcunque interna sit animi de religione coacta sententia. Talem advocationem scilicet immanis persecutio Gallica, quæ omnium bonorum commiserationem juxta ac execrationem provocavit, hac rerum tempestate requirebat. Dubitarim vero an tam absurdæ ac improbabæ adulacionis apud Batavos relaturus sit præmium. v. B. Pufendorfii *Ani-*  
*madvers. in Houtuijni Polit. Contract. p. 221. seqq.*

#### §. XLIII.

Videri tamen poterat, Principes Protestantes id juris sibi arrogasse, cum superiori seculo non tantum regimen ecclesiasticum sibi vendicarent, excusso Romani Pontificis jugo; sed etiam, repurgata a corruptelis doctrina Christiana, novas fidei formulas seu symbola condiderint, quibus tum pastores, tum cives ac subditos suos adstrinxerunt. Enimvero limites suæ potestatis ac juris hautquaquam migrasse ipsos, cum copiosius ab aliis demonstratum sit, tum paucis id etiam ostendisse ab instituto nostro non erit alienum.

#### §. XLIV.

Primo enim laudati Principes ac Status formulis illis ac Symbolis, non nova fidei capita condiderunt, sed genuinam Christi & Apostolorum doctrinam, fœdis superstitionibus sub R. Pontificis regno tenebrarum contaminatam, per rerum divinarum viros peritissimos, ex ipsis sacrarum literarum monumentis, a fœdibus repurgatam iterum promulgarunt, ac civibus suis approbanda & profitenda proposuerunt, nemini hac de causa vi illata. Id quod ante ipsos etiam Imperatores olim Christianos fecisse, a ne-

mine



mine ea propter jure reprehensos legimus. Principes enim Christianos, & qua imperantes, & qua membra Ecclesiæ, ad puram Christi doctrinam introducendam & conservandam obligatos esse, in seniori philosophia, omni dubio caret. Deinde ritus & ceremonias, quæ in veteri Ecclesia puriori receptæ fuerant, aut retinuerunt ipsi, aut renovarunt, abolitis inanibus ac superstitionis a clero Romano introductis ceremoniis. Et tandem quia regimen ecclesiasticum Pontifex R. in Germanicas ecclesias inique involaverat ac tyrannice usurpaverat; illud ipsi, tanquam iniquo possessori aut usurpatori, abrogarunt, sibi id merito jure territorii vindicantes. Quod peculiari libro *de Libertate Ecclesiarum Germaniae*, demonstravit doctissimus JCtus Job. Schilterus. Et hoc in Transactione Passavensi anno 1552. & eam insecura Pace Religiosa ao. 1555. Augustæ Vindelicorum facta, Imperatoris & Imperii consensu solenni formula confirmatum fuit; quæ in *Recess. Imper.* dicti anni §. 25. ita habet: So sollen die Kaiserliche Majestät / wie auch Chur-Fürsten / Fürsten und Stände des Heil. Reichs keinen Stand des Reichs von wegen der Augspurgischen Confession und derselben Lehr / Religion und Glaubens halben/ mit der That gewaltiger Weiß überziehen / beschädigen / vergewaltigen/ oder in andere Wege wider sein consciens/ Wissen und Willen / von dieser Augspurgischen Confessions- Religion/ Glauben/ Kirchen- Gebräuchen/ Ordnungen und Ceremonien/ so sie aufgericht oder nachmahls aufrichten möchten in ihren Fürstenthümern/ Landen und Herrschaften/ dringen/ oder durch Mandat, oder in einiger anderer Gestalt beschweren oder verachten/ sondern bey solcher Religion/ Glauben/ Kirchen- Gebräuchen/ Ordnungen und Ceremonien/ auch ihren Haab und Gütern/ liegend oder fahrend/ Land/ Leuten/ Herrschaften/ Obrigkeitten/ Herrlichkeit ten.

ten und Gerechtigkeiten/ ruhlich und friedlich bleiben lassen' &c.  
Et §. 20. seqv. sancitur: Episcopis nullam in participes A. Confessionis Jurisdictionem competere debere, sed ipsis circa sacra sua disponere licere. §. 23. constituitur: Ne quis alteri subiectos in suam religionem pertrahat, eorumque defensionem hoc obtentu suscipiat: Es soll auch kein Stand den andern/ noch desselben Unterthanen/ zu seiner Religion tringen/ abpracticiren/ oder wider ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen/noch vertheidigen in seinem Weg. §. 24. additur: subditis diversa a Principe suo sacra amplexis liberum esse , bonis suis divenditis alio migrare. Sed cum hoc seculo, contra laudatæ pacis Religiosæ formulam, Cæsar Ferdinandus II. a. 1629. ferale illud edictum super restituendis bonis ecclesiasticis, post transactionem Passavensem per Protestantes occupatis, promulgasset, quo religionis juxta ac libertatis suæ oppressionem quæri judicabatur; Elector Saxonie super istius iniquitate non tantum querebatur, abrogationem Edicti per Legatos enixerat; sed cum precibus & juri nullus relinqueretur locus, consentientibus aliis Statibus Protestantibus Lipsiæ a. 1630. congregatis, decrevit vim opponere, si quæ vis sibi ob Edictum illud ferale intentaretur. Inde bellum in Germania exitiale exarsit, quod vitalia fere ejus exedit, donec a. 1648. Osnabrugæ, pax illa Religiosa iterum stabili- retur & muniretur. v. Artic. V. instrum. Pac. Osnabrug.

### §. XLV.

Quod autem ejusmodi Formulis fidei suos tum doctores, tum cives ac subditos adstrinxerint sub jurisjuran- di religione, eo ipso conscientiarum dominium non affe- starunt: Nullum enim ad illas amplectendas coegerunt. Qui easdem profiteri abnuerant, iis integrum fuit, e civi- tate sua in aliam migrare, aliamque eligere sectam. Inter-  
E est

est enim maxime Reipublicæ Christianæ, ut, nisi pacta ob-  
stant cum civibus super plena cujusque religionis liberta-  
te inita, tranquillitas aut concordia in Ecclesia, prohibitis  
dissidiis circa capita summam Religionis tangentia con-  
servetur. Quæ, nisi publica fidei formula aut symbola  
ex s. literis composita extent, quibus cives ac subdi-  
ti adstringantur, cessat. Hac de caussa in Eccle-  
sia jam primis Christianismi seculis, symbola fidei condita  
fuisse, quæ & nos retinemus, notissimum est. Igitur, si  
contra illa quis docere, aut etiam eadem rejicere aggredia-  
tur; is, si quid rationum pro sua sententia adferat, audi-  
endus prius, ut erroris convincatur; postea ut absistat  
monendus aut redarguendus est; si ne sic quidem quiesce-  
re velit, civitate ejici potest, ne pars sincera trahatur aut  
turbæ enascantur. v. B. Pufend. libr. cit. §. 44.

#### §. XLVI.

Circa ritus tamen, qui non ab universa Ecclesia rece-  
pti sunt olim, major libertas permitti solet; cum illi sum-  
ma Religionis capita aut doctrinam non attingant. Quan-  
quam privatis hic nihil innovare ab imperantibus merito  
præcipitur; ne exinde vel plebi offendiculum præbeatur,  
aut turbæ ab imperitis hac de causa excitentur noxiæ. Cu-  
jus rei exempla superioris ævi historia, plurima suggerit,  
quæ hic adduxisse nimis prolixum foret.

#### §. XLVII.

Ceterum vero *Jus reformandi* seu repurgandi Eccle-  
siam a falsa doctrina, superstitionis ritibus malisque mori-  
bus inquinatam, ex jure divino summis Imperantibus in  
suis ditionibus competere, ex custodia utriusque Decalo-  
gi tabulæ, & *Deuteron. XVII. 18. 19. Jos. I. 8.* Christianis no-  
tum est. Pluribus eandem potestatem Principum argu-  
mentis afferuit *Grotius* jam sæpe a nobis laudatus. Agno-  
vit

vit id cum antiquis imperatoribus Christianis, Maximiliani I. quando anno 1510. centum adversus curiam Romanam gravamina colligi curavit. Edicta hac de causa Maximiliani I. & Ludov. XII. R. Gall. anno 1511. facta, de convocando & celebrando concilio Pisano, pro *necessitate & utilitate Reip. Christianae contra Julium II. Papam*, apud Goldastam extant, constitut. imperial. tom. I. fol. 421. seqq. confer Seckendorfii Hist. Lutheran. Lib. I. Sect. 2. §. 11. addit. 3. At vero cum Christiana Ecclesia hodie in diversas Sectas abierit; illud difficultate carere non videtur; *an cuivis Principi in suo territorio illam Religionem introducere liceat, quam ipse profitetur?* Ad quam quæstionem respondemus distinctione facta *inter Principes*, qui liberam & absolutam in Republica habent potestatem, nullisque, ut vocant, legibus fundamentalibus aut pactis adstrictam; & *inter Principes*, qui potestate limitata ac legibus aut pactis cum subditis adstricta gaudent: Quod illos attinet, a jure alienum non videtur, si Princeps illius Religionis exercitium, quam in conscientia pro vera habet, introducat; nulla tamen vi subditorum conscientiis illata, qui hac in parte ab ipso dissident. Imperium enim in conscientias nunquam summis Potestatibus competere, supra §. XX. & XXI. adstruximus. Si ergo ex conscientia erronea, falsam Princeps imperet religionem, illud Augustini Serm. VI. de verb. Dom. attendendum: *Si aliud imperator, aliud jubeat Deus, quid judicatur? Major potestas Deus; da veniam Imperator.* Jus quippe emigrandi, aut gloriam martyrii dissentientibus relinquere debent. conf. Instrument. Pac. Osnabrug. Artic. V. §. 34. 35. 36. & 37. Nec obstat videtur, quod hac ratione, falsa, si Princeps sit hereticus, Religio per reformationem introduciqueat. Nam propterabusus periculum, ipsi jus competens non dene-



gandum est. Nisi velimus etiam summis Imperantibus  
jus condendi leges, dubium reddere ; ideo , quod leges  
perversas aut noxias ferre possint. Abusus enim juris im-  
perii non tollit ipsum jus imperii ex majestate fluens. Con-  
fer *Grot. de Imp. S. P. circa Sacra*, Cap. VIII. §. 2. *Conring.*  
*de Pace Civil. & Zieglerum de Jur. Maj. Lib. I. c. 14.* §. 5. 6. 7.  
Unicum ergo hic solatum in divina est providentia. Deus,  
quippe in *cujus manu*, speciali quodam modo, *cor Regis* est,  
*Proverb. XXI. 1.* & per bonos & per malos Principes opus  
suum operatur. Interdum tranquillitas, interdum tem-  
pestas Ecclesiæ utilior. Digna hic notatu *Augustini* verba,  
quæ in *Epistola quadam* recitat : *Imperatores cum in errore*  
*sunt, pro errore suo contra veritatem leges dant, per quas ju-*  
*sti & probantur & coronantur, non faciendo, quod illi ju-*  
*bent, quia Deus prohibet.*

### §. XLVIII.

Quod vero Principes, qui limitatam per pacta cum  
populo habent potestatem, attinet, illos absque ordinum  
& populi consensu, non posse Religionem mutare aut re-  
formare, manifestum est. Nam pacta cum populo obten-  
tute religionis violare, nefas est ; Cum fides data omnibus  
servanda sit. Confer *Instrum. Pacis Osnabrug.* artic. V. §. 33.  
Artic. VII. §. 1. Quapropter cum ordinibus Regni Bohe-  
micæ ab antecessoribus Ferdinandi II. hoc nostro seculo,  
de libertate Religionis pacto velut aut privilegio cautum  
esset ; & hic illud antiquare aut abrogare, Jesuitarum  
artibus inductus moliretur, exitiale illud Bohemiæ & Ger-  
maniæ bellum exarsit. v. *Pauli Praeſecii Chronic. Gestor. in*  
*Europa singular.* p. 312. seqq. Quid Jacobo II. Magnæ Bri-  
tanniae nunc Ex-Regi ante hos sex annos , propter pa-  
cta super Religione cum populo violata, acciderit, in omni-  
um recenti viget memoria.

### §. XLIX.



### §. XLIX.

Obligantur quidem omnes Principes ad veræ Relig-  
nis receptionem, propugnationem, conservationem ac de-  
fensionem, *Deuter. XVII, 19.* cum ideo etiam utriusque  
tabulæ Decalogi custodes audiant, ut *B. Hülsemannus Brev.*  
*cap. XX. Supplēm. §. III. num. 5. & seqq.* evincit. confer *Petri de Muca de Conc. Sacerd. & Imp. l. II. c. X.* Si tamen ob  
peccata populi, aut alias causas contingat, ut illi ab Ortho-  
doxa Religione desciscant, falsam amplexi, quam & publi-  
ce in suis ditionibus vigere velint; dissentire & contradic-  
cere pastoribus ac subditis eorum licet, etiam cum fortuna-  
rum & vitæ jactura; resistere vero vi armata, (si mere sub-  
diti, quales Principes imperii neutiquam sunt) nunquam  
licet. *Quod laudatus Hülsemannus accurate satis Cap. XX.*  
*cit. §. XI.* demonstravit. confer *B. Seckendorfii Hist. Lu-*  
*theranismi Præloqu.*

### §. L.

Ubi vero Princeps diversas in suis territoriis religio-  
nes, quarum una tantum vera esse potest, deprehendit;  
falsas quidem lucri, aut alia quacunque de causa tolerare  
non debet; nisi vel pactum de sacris ipsi cum subditis in-  
tercesserit, aut ex reformatione periculum Reipublicæ aut  
Religionis puræ timeatur maximum. Nam doctrina Ev-  
angelii ad destruendas Respublicas instituta haud fuit. vid.  
*Hülsem. Cap. XX. cit. §. 10.* Hinc, omnium moratiorum  
gentium jure, nefas habetur, quod Rex Galliæ contra Edi-  
ctum Nanneticum, quo Hugonottis de libertate Religio-  
nis tam sancte cautum fuerat, abrogarit, immisissque di-  
machorum legionibus, nolentes ad sacra Rōmānēsia am-  
plectenda coegerit. v. *Heideggeri Histor. Papat. p. 536. seqq.*  
Execrabilis hæc est immanitas, quam barbaræ etiam gen-  
tes, ut Turcæ, detestantur. conf. *Pufend. de Hab. Relig.*

§. 49. 50. Neque enim, quod obtendi solet, ad tranquillitatem civitatis absolute necessarium est, ut omnes cives circa Religionis capita consentiant; seu, quod idem est, dissensus circa capita Religionis, per se non turbat quietem civitatis, sed intemperies ingeniorum, ambitio, gloriæ & potentia cupiditas, zelusque male temperatus, quæ ab isto dissensu ansam sumunt, turbulentiam suam expromendi. His vitiis frena injicienda sunt, ne per petulantiam turbent eos, queis, salvo adversus Principes obsequio, nihil aliud quæritur, quam conscientiæ libertate frui. Confer *Attagore Apolog. pro Christian. Instrument. Pacis Osnabr. Artic. V.* §. 50. ac *H. Grot. libr. cit. c. VIII. §. 4.*

§. LI.

Atrox ergo injuria est, qua D. *Franciscus Burgkardus*, Electoris Coloniensis olim Consiliarius Intimus & Cancelarius, in libro cui titulum *de Autonomia*, i. e. von Freystellung mehrer Religion und Glauben &c. præscripsit, Status Protestantes contra leges Imperii publicas affecit; quando illis ob vindicatum ac usurpatum jus suum circa sacra Libertinismum credendi, aut sicut ipse *Cap. I. loquitur, Li-*  
*centiam credendi quidvis, impingit.* Notavit & quodammodo castigavit hominis zelum male temperatum pro Pontificis R. tyrannide *Ant. Benbelona de Godentiis JCtus* (vel qui sub hoc nomine latere creditur) *Eberhardus a Weibe JCtus eximius.* Vide ejus *Uny Resveille Matin*, sive *Tempestivum Suscitabulum pro Principibus*: hoc est ad edictum Imper. Diocletiani de Malefic. & Manich. in *Cod. Hermog.* quod in *Christianos scriptum est, Commen-*  
*tarium.*

§. LII.

Cæterum regimen ecclesiasticum, quod omni jure Principibus Christianis, in suis ditionibus competere jam adstru-

adstruximus, suas habet partes, quas vel Principes ipsi,  
vel per Episcopos aut Magistratus ecclesiasticos exercere  
solent.

### §. LIII.

Harum *prima* est *inspectio generalis* tum in doctores & pastores, tum in doctrinam, tum in actiones & mores cleri ac populi Christiani. Nam si cura aliorum Collegiorum in civitate imperantibus incumbit, quidni & Ecclesiæ multo amplioris? contingere enim potest, imo sæpe accidisse legitur, quod ministri & doctores verbi divini munere sibi demandato abusi, doctrinam aut depravarent, aut pravis moribus Ecclesiæ nocuerint, quæ noxa in Rempublicam transit. Ideo Principes ut nomen Episcoporum, quod a Constantini M. ævo usque gesserunt, tueantur, providere debent; ne quid hac in re pecetur. Exempla hujus curæ Principibus competentis, ex historia Imperatorum eorumque juribus, *H. Grotius* allegat. confer *Pufend. libr. cit. p. 152.*

### §. LIV.

Succedit illi parti jus *constituendi Ecclesia ministros*, quod summi Imperantes justis de causis sibi vendicare possunt. Non est, inquit *Marsilius Patavinus*, *lege divina prohibitus legislator aut Princeps ab officiorum ecclesiasticorum institutione, collatione seu distributione*. Quod *H. Grotius de Jur. Summ. Potest. circa Sacra Cap. X.* argumentis sat congruis probat, sub eo comprehendens jus eligendi, aut licentiam dandi ad eligendum, salva tamen libera approbatione, §. 23. seqq. Non vero id jus ad Principem e modo spectare, quo jus constituendi Magistratus aut alios officiales in civitate necessarios, bene *Pufendorfius l. c. §. 45.* animadvertis: cum hoc ipsi in solidum velut pars summi Imperii competit; illud autem

ex



ex parte tantum. Quia doctores Ecclesiæ, ut tales, proprie non sunt officiales Principis, sed ministri aut servi Christi, a quo potestas docendi Evangelium primum instituta est. Variant tamen modi hujusce juris, exercendi pro temporum, populi, aut pectorum cum his, diversa consuetudine, ut *Grotius Cap. cit. §. 31. 32.* annotavit. Nam si forte populo, Episcopis, aut Magistratibus jus eligendi pastores ex veteri consuetudine concessum est; Principis interest, ne absque sua approbatione id exerceant: cum vel in electione, vel in electis doctrinæ & morum vitiæ esse queant Ecclesiæ noxam illatura: quam Principes Christiani majori cum efficacia, quam populus præcavere possunt, certe debent. Hic si aliquid consilii dandum est, non displicet *Grotius*, Justinianeorum temporum ratio, adhibita hac cautela; ne plebi invitæ pastor obtrudatur, salvo tamen summis Potestatis jure reseindendi electiones, quæ vitio aliquo laborant. Hoc enim jure non Francos tantum Reges, sed & veteres Rom. Imperatores sæpiissime usos esse, *Grotius ex Historia probat.*

#### §. LV.

*Jus condendi leges ecclesiasticas, & recipiendi in veteri Ecclesia usitatos canones utiles, ut vim legum habeant, pars etiam regiminis ecclesiastici est necessaria: quam summis imperantibus ex jure imperii nomotheticō competere, recte Grotius adstruxit, & exemplis etiam Principum Christianorum, qui tales promulgarunt, comprobavit. v. de Imper. Summ. Potestat. circa Sacr. Cap. VII. §. 14. 15.*

#### §. LVI.

*Leges illæ præter disciplinam ac mores, ritus Ecclesiæ respiciunt, circa quos dissensio multis in veteri & recenti-*

centiori Ecclesia turbis ansam dedit. De his cum lex di-  
vina nihil constituit , si materia recens est & ductilis,  
nihilest tutius , quam eas restituere, qui primis post Apo-  
stolos seculis, magno populi Christiani consensu, magno-  
que fructu observati sunt. Id quod Status Protestantes,  
monente Luthero, attenderunt. vid. *Augustan. Confes-*  
*sion. de Abusib. Cap. V. & VII.* Locum hic etiam illa C.  
Cassii sententia apud C. Tacitum *Annal. XIV. c. 43.* habere  
potest: *super omnibus negotiis melius atque rectius olim*  
*provisum, &*, que convertuntur, *in deteriorius mutari.* Ha-  
benda tamen & temporum aliqua & locorum ratio;  
**Quibus neglectis turbæ exitiales in republica enasci pos-**  
sunt. Quarum exemplum ut vetera taceamus, recentior  
historia Anglicana suggerit, cum Carolus I. Rex M. Bri-  
tanniae librum, quem vocant, *Liturgicum* ab Episcopis  
compositum anno 1637. publicari curasset. Cæterum  
multa præclara in hanc sententiam videre est in historia  
*Socratis lib. V. c. 22.* & in Augustini Epist. CXVIII. seq. Si  
quid in isto genere non optimum, tolerabile tamen, ævo  
radices egit, id nisi bella occasione multoque assensu  
non mutare, prudentiæ est. *Consuetudinis enim muta-*  
*tio,* dicente *Augustino Epist. CXVIII.* etiam que adjuvat  
utilitate, novitate perturbat. Iniquus hic in Principum  
jura est *Petrus de Marca de Concord. Sacerdot. & Imper. lib.*  
*II. c. 6. n. 6.* quando illis denegat potestatem circa disci-  
plinam & ceremonias, eoque nomine Justinianum vel-  
licat aut damnat, quod in *Novell. 137. cap. 6.* de s. li-  
turgia constitutionem ediderit. Enimvero ipse, ut alibi,  
satis prodit, quod concordiam discordem molitus sit.  
Pontificis enim Romani monarchia cum imperio Prin-  
cipum nunquam concordare potest. Quia duæ summæ  
potestates in una republica simul esse nequeunt; licet

F

hoc



hoc Petrus de Marca l. II. de Conc. Sacerd. & Imp. evincere contendat, variis restrictionibus utriusque potestatis adhibitis. Sed Concordia Sacerdotii & Imperii, dicente ipso Gregorio VII. Monarchiae Papalis conditore l. I. Epist. 19. nihil fictum, nil nisi purum debet habere. v. Prolegom. P. de Marca p. 41.

### §. LVII.

Interest præterea Reipublicæ, ut in Ecclesia vigeat concordia, quam dissensiones circa dogmata & ritus maxime turbare solent. His consopiendis aliqui Synodos idoneas judicarunt, quæ magno numero habitæ leguntur. Quarum indictio & directio ad imperantes spectat; ut veterum Synodorum historia abunde probat. confer Ziegleri de J. Maj. libr. I. cap. XV. Labentibus tamen seculis id juris quoque sibi Pontifex Rom. arrogavit, non parum imminuta sic Principum potestate. Sed Status Protestantes superiori ævo Pontificis Romani tyrannidem aversantes, iterum eandem vindicatum iverunt. Nec alia cura Constantimum M. Theodosium M. & qui post eum Christiani fuerunt Imperatores, magis exercuit, quam ut dissensiones in Ecclesia aut præverterent, aut sanarent. Contra Julianus Apostata, suscepto in Christianos inexpibili odio, non inventit quomodo gravius iis noceret, quam si latam scissuris ac dissensionibus viam aperiret, quod Ammianus Marcellinus lib. XXII. cap. 5. annotavit. confer Augustin. Epist. XXVI. Huic conservandæ, vel si abruptæ est, reducendæ magis inserviunt moderata antistitum consilia, quam præservida, aut etiam Synodi particulares vel colloquia: Quorum eventus, Ecclesiæ teste historia, raro latus fuit. id quod jam sua ætate Gr. Nazianze-

anzenus observavit. Ut enim omnes unum consentiant,  
res voti magis, quam spei est.

§. LIX.

Ad lites quæ inter clericos, super actionibus vel rebus sacris oriuntur componendas, opus est *judiciis ecclesiasticis*, in quibus illæ determinentur. Inde ad regiminis ecclesiastici exercitium, jus illa constituendi pertinere manifestum est. Clericos enim Principum imperio non eximtos esse contra Baronium & Bellarminum Romanæ Curiæ assentatores, tum ex *Roman. Cap. XIII. 1.* tum luculentis Ecclesiæ Veteris doctorum testimoniis evincit doctissimus Sorbonista, *Edmundus Richerius tractatu de Potestate Ecclesiæ in rebus temporalibus Libr. II. c. 1. 2. seqq.* Ceterum vero potestatem hanc in judiciis dictis, cum sit Vicaria, a summa Potestate dependere, nulla indiget probatione. *Grotius* hic monet ad salutem publicam & ad dignitatem Ecclesiæ pertinere, res ecclesiasticas ad minora tribunalia non deferri; cum cognitiones demoneta & ære municipalibus judicibus non soleant delegari, sed collegiis sublimioribus. Quare nobilissima hæc munia, non nisi proximis fastigio Principum, commendanda censet. vid. *Grot. de Imper. S. P. circa Sacra. Cap. ult.*

§. LIX.

Plures *imperii partes* seu *jura circa sacra & res ecclesiasticas esse novimus*. Sed illa hic tradere nostri instituti ratio non patitur. Unum tantum adhuc contra *Hobbesium de Civ. Cap. XVII. §. 25.* notamus, quod perperram jus clavium, seu potestatem ligandi & solvendi Pastoribus quidem & ministris Ecclesiæ tribuere videatur; verum dum potestatem judicandi de pœnitentia imperantibus assertum it; quippe quos Ecclesiæ nomine intel-

Q1 TIK 4286

ligit, insana suæ Theologiæ & Politicæ placita sequitur; perperam explicando pœnitentiam, & confundendo iudicium pastorale cum politico seu civili de pœnitentiibus: Quæ Theologis discutienda relinquimus. Nam etsi illa potestas effigiem quandam jurisdictionis habet; non tamen proprie jurisdictione est; quum eam nec Christus nec Apostoli unquam affectarint, aut pastoribus delegarint. Interim circa exercitium juris clavium, quo pastores abuti possunt, inspectionem & eo abutentium coercitionem competere imperantibus, *H. Grotius libr. c. Cap. IX. §. 22.* afferuit.

§. LX.

Ex his jam in medium allatis constare arbitror, quo sensu protritum illud dicterium, **CUJUS EST REGIO, EJUS EST RELIGIO,** admitti possit, quove aliqui eodem abuti soleant. Deus cum libertate conscientiæ, veram nobis in verbo suo revelatam servet Religionem, animumque Christianis Principibus inspiret sanctum, ut veritatem cœlestem & pacem constanter ament, tueantur atque turbones ejus coérceant!

S. D. G.



1077 106

XXI. Qu  
tion  
XXII. H  
nis  
XXIII. I  
jad  
XXIV. J  
ex  
XXV. I  
ur  
XXVI. tiv  
XXVII  
bi  
XXIX. ci  
XXX. I  
XXXI.  
XXXII.  
&  
XXXIII.  
XXXIV.  
co  
XXXV.  
ur  
ce  
XXXV.  
au  
XXXV.  
ru  
XXXV.  
Pr  
XXXIX.  
XL. 6.)  
ma

# KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

LICENSED PRODUCT  
Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

æ indole, institu-  
æ externæ Religio-  
io civili non sub-  
ciuntur.  
antum non sunt  
coalescere neque-  
d externa, impera-  
ecclesiasticum ple-  
to imperantium.  
sus declaratur.  
liticos sunt Hobbes  
ostenditur.  
n esse rem, quod  
ensentur & rejici-  
imperantibus ac-  
nis accommodent  
i atque Apostolo-  
tæ sint.  
esiae sint ministri  
is.  
nitivum & deter-  
XLI.